

MICHAEL HELDINGVS SIDONIVS EPISCOPVS MER-  
seburgensis.



Michaël ex tenuis fortunæ parentibus natus  
est apud Belgas anno 1506. Is adolescens o-  
mnis generis artes fœliciter didicit, atque postea  
Theologiæ passim in Academijs, Tubingensi præ-  
sertim, operam dedit. in ea quoque facultate adeò  
profecit, ut doctissimis Theologis suo tempore an-  
numeraretur. Itaque Archipræfus Moguntinensis  
hunc Michaelem suum suffraganeum elegit atque  
res Ecclesiæ spirituales administrare iussit. id quod  
ipse magna diligentia præstítit. Cum etiam postea  
Carolus Cæsar per Germaniam uictor esset, atque  
Auguste Vindelicorum anno 1547 comitia celebra-  
ret, hunc Michaelem docendi muneri in summo  
templo ibidem præfecit, atq; Catholicam religionem apud omnes urgere ius-  
sit. Id ut Michaël ficeret, primò de Missæ sacrificio multas conciones habuit,  
atq; eas postea edidit.